

Auctor fuerit, apud amantes veri Theologos nullius ponderis futura est illius auctoritas, non ea solum de causa, quod nihil certi habeamus, Cajus-ne, an Hippolytus, an quisquam alius, hæc literis consignarit; sed etiam, quod Visionarium & fabulosum Scriptorem heic habeamus, ut pote qui Receptacula illa Animarum, earumque varia officia tam graphicis coloribus nobis pingit, perinde quasi ea loca suis ipse oculis illustrasset. Nemo hujusmodi Scriptorum institutioni se tradat. Quod pares fabulæ in Opusculo de *Anticristo* occurrant, propterea non facile Eruditi Hippolyto Martyri illudtribuendum putant. Eoque minus hoc illi tribuendum est; quod Evangelio adversetur, Divitem Epulonem Igni jam traditum asserenti, quum in hoc Opusculo expertes adhuc flammarum Injusti dicantur. At nos immortalitatem Animæ accipimus quidem, & certa fide tenemus: Pœnas quoque Improbiorum in Inferis jam inchoatas credimus; Justorumque Præmia Apostolicum sermonem, sed *sub terra* negamus: Certiorem nempe habemus Apostolicum sermonem, quo hæc in re fides nostra innititur; nam Justi *cum Christo sunt*; & Sancti, dum heic degunt, cupiant *peregrinari*, idest separari a Corpore, & *præsentes esse ad Dominum*. Ad evidentiam vero supra ostendimus, communem fuisse sententiam, vel primis Ecclesiæ Sæculis, Martyrum Animas in Cœlum, atque ad Deum, ex hac vita emigrare. Neque ab ea S. Hippolytum deviasse par est credere, quod nunc, nisi tot ejus Libri periissent, facile, ut reor, dignosceremus. Præter hæc vidimus, *Sinum Abrahæ* non Locum esse, quum vocabulo illo designetur consortium cum Abraham patre credentium; & siquidem pro Loco accipere velis, ineffabilis certe Beatitudinis Locum esse dicendum, quem non *sub terra*, sive *in Inferis* quæras, sed rectius in Cœlis; & quem nemo tenebrososum carcerem, ut Pseudo-Hippolytus ille somniavit, sed admirabili luce recreatum credat. Atque heic animadvertas velim (quod supra prætermisi) *Sinum Abrahæ* ab eximio Doctore Ecclesiæ Chryostomo reputatum fuisse Regnum ipsum Cœlorum. Homilia nempe xxvii. in c. viii. Matth. interpretatur S. ille Antistes Domini verba: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in Regno Cœlorum*; atque ita loquitur; **COELESTE REGNUM non suo nomine, sed SINUM ABRAHÆ appellavit.** Et infra: *Adeo Patriarchas & Abraham admiratur ac laudat, ut SINUS EORUM ultimum BONORUM OMNIUM FINEM arbitretur, ac predicet.* Sed ubinam mentio Sinus Abrahæ in verbis Domini? Subintelligitur: idem quippe sonat *cum Abraham*, atque *in Sinu Abrahæ*. Causam rei minus peritis exponam, Sacris in Literis sub tropica imagine opipari Convivii describitur Æterna Beatitudo in Cœlis. Dominus Jesus Luc. xxii. 29. *Et ego, ajebat, dispono vobis, sicut disposui mihi Pater meus, Regnum; ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo.* Et in Apocal. xix. 9. *Beati, qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Idem quoque significat *Recumbere*